



BIBLIOTECA
COMUNALE
DI TRENTO



UNIVERSITÀ DEGLI STUDI
DI TRENTO
Dipartimento di Lettere e Filosofia



FONDAZIONE
CARITRO
CASSA DI RISPARMIO DI TRENTO E ROVERETO

GENTILOTTI GIOVANNI BERNARDINO, *Nova ignipotens AEtna Academico Accensorum igni praestitura suis flammis augmentum. Diva nimirum virgo, & martyr Catharina pro numine tutelari redivivo Pieridum athenaeo invocata. Nec non die eidem sacra Tridentinae Academiae oratione in sanctissimae Triadis templo exhibita a d. Joanne Bernardino Gentilotto i.u.d. et inter eosdem accensos academico Constanti. Anno primo quo accensi lucet fax clara licei, Trento, Giacomo Antonio Vida, 1674.*

Esemplare digitalizzato:

Trento, Biblioteca comunale, T I-op d 276

LINK: <https://bdt.bibcom.trento.it/249>

[BDT – BIBLIOTECA DIGITALE TARENTINA](#)

progetto STABAT – *Stampe antiche Biblioteca comunale di Trento*



COMUNE DI TRENTO



STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* è un progetto concluso, cofinanziato dalla Fondazione Caritro (“Bando Archivi 2014”), dalla Biblioteca comunale di Trento e dal Dipartimento di Lettere e Filosofia dell’Università di Trento; gli altri partner del progetto sono la Soprintendenza per i beni storico-artistici, librari e archivistici della Provincia Autonoma di Trento e l’University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All’interno di Stabat sono state digitalizzate e descritte tutte le edizioni stampate in Trentino nei secoli XV-XVII che si conservano presso la Biblioteca e l’Archivio storico del Comune di Trento. Ogni digitalizzazione è accompagnata da una descrizione della stampa; tutto il materiale è liberamente consultabile sulla *Biblioteca Digitale Trentina* (<http://bdt.bibcom.trento.it/>).

In questo file le immagini hanno avuto in trattamento OCR e pertanto si possono fare ricerche testuali; le immagini presenti sul sito, dove si può trovare una descrizione completa dell’edizione, hanno invece una qualità maggiore.

Le immagini presenti nella *Biblioteca Digitale Trentina* sono rilasciate con licenza di Pubblico dominio, il presente PDF è distribuito con licenza Creative Commons Attribuzione – Non commerciale – Non opere derivate 3.0.

STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* is a project that was successfully concluded thanks to the support of a group of partners, namely the Caritro Foundation (“Bando Archivi 2014”), Trent Civic Library, the Department of Humanities of the University of Trento, as well as the Superintendence for Architectural, Landscape, Historical, Artistic and Ethno-anthropological Heritage for the Province of Trento and the University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All the editions belonging to the Library and the Civic Historical Archive that were printed in Trentino during the XV-XVII centuries have been digitised and described. As a result, each digital copy is accompanied by a record with specific data regarding the printed book, and is freely available to be consulted on *Biblioteca Digitale Trentina* (<http://bdt.bibcom.trento.it/>).

The images belonging to this file are OCR-converted, hence the text of this edition can be electronically searched. The images available on the website, on the contrary, have a higher resolution and are accompanied by a complete description of the edition.

The images available on the *Biblioteca Digitale Trentina* are public domain files; this PDF is available under the Creative Commons Attribution – Non-commercial – No Derivative Works 3.0 License.



Man. T. S. d. 440.

BIBLIOTECA COMUNALE
TRENTO



ex libris



K 2111037

D 2111007

Stca

I I-op d 276

NOVA IGNIPOTENS //

Æ T N A

ACADEMICO ACCENSORVM IGNI

Præstitura Suis Flammis Augmentum.

Diua nimirum Virgo, & Martyr

CATHARINA

PRO NUMINE TVTELARI

Rediuiuo Pieridum Athenæo Inuocata.

NEC NON

Die Eidem Sacra Tridentine Academicæ Oratione

In Sanctissimæ TRIADIS Templo Exhibita.

A D. Ioanne Bernardino Gentilotto I. V. D.

ET

Inter Eisdem Accensos Academico Constanti.

A N N O

prIMO qVo aCCensi LVCet faX CLara LICel.



1674

TRIDENTI, Ex Typogr. Episc. Priuil. Jacobi Antonij Vidæ.
SUPERIORVM PERMISSV.



IO

Qui



Reuerendissimo in Christo Patri,

RELIGIOSISSIMO VIRO

**IOANNI CORNELIO
GENTILOTTO**

SOCIETATIS IESV THEOLOGO, &c.



Dicatus Orator Orationem dedicat,
Quia Scientiarum Cultori acceptus Cultus CATHARINÆ;

Hoc Studiorum in Pallante,

Existere Literatorum Palladem dices,

Nisi

Is plus Olei consumeret, quam daret,

Qui libris pollens Libram Poli gerit.

A 2

Ro-

Romanis CORNELIIS Iste vix dispar Virtute,
Quem non tam Genus, quàm Genius illustrat,
Cùm plura Huius COR MELIVS pandat.

Ignes addit Ignatiano
Neptis musa obsequiosa,
Sed paria non parat Virtutum Viro;
Ideò,

Ne plùs obtenebret papyrum Fumo,
Pyram destruit, Finem struit,
Votum Soluit.



dicir
hyb
gent
eum
elem
vt Ig
Mor
tur v
tent
lamp
eloq
Coel
ribus
ment

Vert
natar
to Pl
non,
vrbi,
Diu
Hand
qui h



Rigidos iam agimus dies, Illustrissimi, Eruditissimiq; Academici, Nobilissimi Auditores. Frigidos, inquam, iam agimus dies, & languente, transacti temporis elegantia hyemi contermino fruimur Sole: quæ pruinis albicant vireta, repente obsolescunt, admissio vix amplius læto in arida gressu; fori frequentiam rigidus interdicit turbo, dum colendos plus solito domesticos Lares suadent hyberni status. Pellendum est gelu calore, nec non parandus argenti habitaculo ignis: Carus cuique focus dum hyemat dies; vt cum apertis manibus vnusquisq; suscipiat; cum etiam quouis præelemento duas sibi palmas arripiat. Ipsemet tepeo, Ipsemet algeo; vt Ignes hoc mane noua ab Ætna placeat suppeditatos. Igniuomi Montis prunæ cum non liueant nubilo vllò, nec superfusus violentur vndis, extitere oblectamento; qui aquaticâ vincitur ignis potentia vix calorem ministrat gelicidio, vixq; vt Demosthenis lampas solidas noctes illuminat. Audistis igne de Cœlo pluuio eloquentes Apostolos? tot eos valuisse fari, nisi suas addidisset & Cœlum faces, hærerem; vt serueat Panegyris, quam hodie ardoribus contexo; ignes quoq; ortos non procul à Cœlo glomerari in mente mea necesse est.

*Nunc Ætna vim promouet insitam,
Ignisq; cultus pectora roborat.*

Vertice æstuanti Vobis Ætnam propono, adeò tamen non examinatum, vt & mihi edaci scrutando elemento, quod nimium incauto Plinio euenit, contingat; Incendij solum adero Nuntius, eius non, quod trabeatus vstor, rigidusq; Nero serali face sub diderat vrbis, illius me sistens præconem, quo arserat Eloquentiæ Numen Diua in Deum CATHARINA. Æpidi non dissimilem Typhæo Hanc vt ostendam Vobis, elaboro, ideò ne me putetis Atlantem, qui humeris Cælestem orbem fulcire somniatur, si Monti huic fe-

rendo impar existo; propriæ non suppetunt tanto oneri vires, nisi
 suppediteris & vestras: lubet magis imitari Atalantam, vt ad aureû
 Academicum Orbem meo cum igne detinear fructuosè, illi non
 æmulatus. Si quid ardoris Ætna ministrat, seu admirationis Ægy-
 ptus, Alexandriam, nouam hodie Trinacriam, huc reuocatam pla-
 cet, vbi Academico SOLE, quasi Clæantis ad lucernam, detenti
 (cui olei suppetit satis de Sinai) constitutum igne elucescet magis.
 Vnicû deuotus animus formidat, Regio pro apparatu dum aduer-
 satur sermonis paupertas mei: *Gloria Regis est in multitudine populi,*
 Proli. 12 *ignominia in paucitate;* deficit curialis amiçtus, sumptusquè intelle-
 ctui non suppetunt egeno. Radicitus tamen à me non euellitur
 labens solamen; congruo sacram Reginam diademate decoram-
 cerno, Vestrà Eam dum coronatis Præsentiâ A. A., nobiliquè, Pa-
 ternæ Aulæ, Doriphoriuè omnis in defectum, sulcitam redditis co-
 mitatu. Quare de CATHARINA flammis facta mihi differenti,
 quæ de Te est elocûta disertè, comptâ Eiusdem facundiâ subueni
 Sacer GERIO; admoue peçtori faces, dictis meis ignes suppone,
 & me cælesti robore vegeta, dum superos spiro calores. Mea ex-
 plodere, si quæ non deerunt peccata, ne parcite; at, quæ CATHA-
 RINÆ sunt, & Academiæ vestræ adaptantur Sacræ MINERVÆ,
 seu SOLI Emblematico, Ægyptiorum more mutos Vos venerari,
 rogo.

Mugitu prodromo Ætnam æstquare, flammaram globos fidera,
 petentes emittere maximo ex cratere, vndiquè cinerum montes
 euomere, ijs torqueri ignibus Typhaum Gigantem, Oratores ab-
 undè, affatiim Tespides decantarunt.

*Interdumquè atram prorumpit ad athera nubem
 Turbine fumantem picæo, & candente fauilla;
 Interdum scopulos, auulsaquè viscera montis
 Erigit eructans; fundoquè exestuat imo.
 Fama est Enceladi semustum fulmine corpus
 Vrgeri mole hac, &c. Vt pluribus Maro.*

Hæc somniasse tot Viros, cum iam obdormierint, quos cepit
 tanti figmenti fallacia, non miror: Vos extitisse veritati consenta-

nea hæc veterum commentitia, non demiramini. Siculis Urbibus quod contigerat, vehementiâ non dispari eosdem experitur ardores Alexandria: CATHARINA Virginum Archos, tot Martyrum Coriphæa, Christianæ Fidei Bulcuta vix oritur, vritur; subsequens enim natalibus feruor scintillulas ministrat incendio. Regiæ Stirpis, vt gestis Illam nobilitem Auorum, Antecessores non reuoco, quia illuminans fauilla umbras non patitur: Felix prima natæ Filix, infelix vltima denatæ Matri, beata hæc Patri euenerat dies; occidit pariens Parens Regia, quis non succumberet Monti? exhalat animam Regina puerpera, nam sine ignita CATHARINA viscera, illa & absque calore sunt, quo coalescant: deperditam thalamo Coniugem, Sociam Regno Rex afflictus deplorat; ob partam CATHARINAM Cælo Reginam solabitur breui: Nec desunt Parenti sedulo in Infanti Sanctitatis præconia, quippe, quem atas admittit, non assueuerat vagitu, naniolam sibi ne forsitan adderet dormituræ. Vt magis habeat cordi, amplexibus pectori sæpius innodat Infantulam, nam cælestis gloriæ exposit immensitatem complexurus, metienda erat Regijs Eiusdem vlnis Magnitudo CATHARINÆ; quare annis deflocatum Regem tunc repubescere asferet concinnè non nemo. Neque Regio muneri educatricis officium officit, si fascijs inuoluat Genitam amans Parens Monarcha, etenim Amori congruum vittas tractare: crepundijs detentam creuerat nullus, cum puerilia Eam non delectarent, quæ iudicio adoleuerat Puella; cum Didascalis in Lycæo, non in gynæceo cum ancillis sunt Discipulæ oblectamenta; vt iusto Dilectæ Pater subueniat petito, eruditissimos quantocius Aduocatos mandat, nam, vt cum Sapientibus litein dirimeret Religionis, non indigebat nisi Aduocatis. Scientiarum non inepta, qua ferueat, paratur materies; verum quæ fumum mittat, utpote solo vanæ fidei fulcita sustentaculo: qui flammam orthodoxam excitet, seu reddat acapna, æterno follis applicatur à Fabro; missum enim Diuinitus Archimandritam afflantem vento pellem repletam assereres; qui extenuabatur ieiunio. Catholicis imbuit dogmatibus pius Eremicola CATHARINAM, vt nigerrimus versus in prunam carbo fluctu-

anti prælueret Alexandria, spirat in ignem Instruor Academicus,
quia Syllanus, omnino Æolum imitatus, cum graderetur ex specu.
Sacris operante probò hoc Viro, en inextinguibilis fulgor, qui,
dum sopitus Fide ignis existeret, è cinere illuxit, nam, Diuina Face
illuminata Virago, cuncta, quæ orbis miscet illecebris, despicie-
bat, vt cinerem: omnibus Mundi se abdicat ambagibus, quia nul-
libi plures, quam in Orbe, & tota se Christo dicat, quem Hieroso-
lymitarum more non odio recipiens in animum, strauerat queque
indumenta, quæ conuenerant Reginæ. ENATA iam Ætna se se
diffundit in vicinia, vt conflagrantem Spiritu, flammisque erumpere
in Eum primitus (quia quocumque proximior) animaduertat
Cælo renatus Princeps Pater: Totus ardet Vcalegon, eruptumque
per carceris sui rimas ignitum murmur detentum Amburbio Cæ-
sarem sui in admirationem trahit; confusa expirant Maximini so-
lemnina, indigna Cæsare victima, quæ debebatur Lanioni. Fer-
uendo flagrantis Virginis æstu torquetur nouus Enceladus Maximi-
nus, succensoque adustus igne fremit dirus Gigas: Quid enim Prin-
cipes sunt, quam Gigantes, quos alijs cernimus eminere? Vt leni-
ret, quo vrgebatur cruciatu, accersitam iubet Viraginem, Titanum
cõmentitiã audaciã Montis vertere ima fummis existimans, Aeter-
ni immemor Iouis fulminantis, ficitij Numinis Idololatra. Gloriosi
Germinis Regius stipes, lucratus Christo Sacerdotes Fani, non
absuit multum, quin & Ille vinciretur inuictus, qui fidem fregerat
Cæsari, vt redderet Deo: quare thus irritum fumans Simulacris in
gratas excitat Cælo flammæ probus Athleta. In Aula nouum He-
rostratum hunc arbitratus Cæsar, cum, quæ Templi erant, in Deum
accenderat, omnes à se exulat ignes Tyrannus, eos Regias COSTI
in ædes, vt funditis cremarentur, transmittens. Piæ Familiæ astu-
antes in Sanctissimam TRIADEM animos, quibus intendat vadis
extinguere, non aduerto, cum incendat sibimet noxius Cæsar, &
cinerem, quo sacri feruoris prunæ conseruentur, procuret. Quid-
quid nitoris aurum, pretiositatis suppellex, admirationis sculptu-
ra, nobilitatis penicillum, memoriæ historia Regio elaborarat Or-
natu, vti Pij despexerant Incolæ, vnicã fumî aurã viderant dissipa-
tum

rum. Barbaro nec suppar est voto diuitis *Ædis* incendium; cor-
pore simul vt flagret, qui arferat Spiritu, mandatur Famulatus
CATHARINÆ, illum nempe Christiano Exercitui adscripserat
Ipsa numerosum cōmilitonem, vt grande seruitutis meritum infini-
to Cælorum præmio compensaret. Omnis impenditur in crucia-
tibus assiduitas, tradendisque Deo Martyribus copiosus defatiga-
tur Satelles; CATHARINA interim Auernum depopulante, dum
Ijs Sacrà Siderum flammâ Gehennæ commutauerat ignes. Nullus
tamen in Virgine terror, nulla formido, magisque carcerum um-
bris tradi, quàm Numinum umbris immolari, quia *Opera manuum* Psal. 113
hominum, perseuerat Heroïna; cùm prunarum in modum arderet
magis, luceretque amplius in abdito, quàm diem intuita. Copio-
sa præ foribus Assellarum congeries, quia carceris impatiens Ignis,
sacro per fenestellam radio illuminata, suo cum CATHARINA
Christo desiderant vti tor Papiliones; quoniam culpæ iam ponde-
re destituti Spiritu extollebantur Athletæ. Nimio iubetur sacra
concio absolui compendio, & Auditorum truncatur tantâ præsen-
tiâ solamen; iam iam coronandum martyrio Regem Parentem vt
deploret, extracta iubetur ex antro Genita, ne tanto funeri suus
deeset ignis, qui pyram pararet. Quo Princeps crucietur ortho-
doxus, adducitur inhumanis Taurus, mandatoque obtemperans bel-
uâ immanior carnifex, pium Regem lacerandum alligat Boui; qui
Taurum pungerent vndequaquæ, motuque facilem cogere cus-
pidibus armati non desuere, ast illum qui loco mouerent, non ad-
suerent: Non enim IESVM diui Regis in corde degentem afficere
valuerat probro, quem in præsepe calefecerat halitu, imò lædere
Cælestem nequierat, qui Zodiaco debebatur. His, aliisque imper-
territa CATHARINA morte triumphaturum Heroem pio assequi-
tur Nata singultu, vt quem Regio in ortu habuerat patrem, Athleti-
cò in occasu nec impari experiretur. Enecto Parente, suoque
destituta Penate, non ad Regiam, sed carcerem redux Virago, vbi
profligato luxu cupit hospitari, diuino astuat colloquio; *Et in lege* Psal. 114
 eius meditatur die, ac nocte: vt summi Numinis, Deipareque Cæli
descensum merita, nomen decenter carceri liceat cum Tertuliano
aufere-

auferre, & Paradisum vocare, cum totus illum inhabitet supernæ
 decor Maiestatis: quam pulchrè candicant æuo quamuis, & defola-
 tione parietes infuscati; ijs nimirum Candorem suum ipsa Virgini-
 tas illeuit, seu lapides illi puro Diuæ huius Igne concocti, dealba-
 bantur, & meritò, ne, dum Christo desponsaretur CATHARINA,
 apparatus quid maroris referrent. Nouo Amoris in Sponsum vin-
 culo Virgine irretita, suauis concentu Cælestes Alites decorant
 Sponsalia, diuitiquè inclusam Circo, constanti exornat gemma, Se
 scilicet, Deus CATHARINAM: quid enim Adamans, quàm Ada-
 mantem donet? Sed gauisum fatis, nouasquè expertus flammæ
 scelestus Imperator, delusa à Puella Idola deplorat: negotium tra-
 hitur in Consilium, vbi dubij fatis, si solo stipetur Alexander Calane.
 Disceptatur pro Cæsare, & vocandis ad urbem sapientibus
 longinquis de plagis declaratur; vt quod truces minæ non valere,
 id Virorum efficeret Eloquentia. Quidquid assereret: mala Auli-
 corum turba, asseuerabat firmè Maximinus, qui inter Maximos Mi-
 nimus solius suæ gnaræ inertix (Magnatum commune malum,
 quia *Verentur Doctrinam utpote imperaturam*) ijs, quos arbitra-
 bantur, opus demandatum iubet Idiota. Iam diuinæ Eloquentiæ
 candentis fremitu mirati fatis, longo non parentes itineri, ex re-
 motissimis oris auscultant mandatis Sophistæ; vt pote attracti noui
 Montis ignipotentis mugitu: mugiebat enim imitata Bouem hæc
 Diua, cum & Aquinatem sapientiæ miraculum Bouem comperi-
 mus appellatum. Qui disceptantium Virorum Virgini nuntiet
 Victoriæ, adest Cælestis Aliger, vt amplius non mirer, eam ad
 sublimem dicendi Elegantiæ euolasse, quæ alas Angelorum ha-
 bebat. Talis Alexandriæ, clariorquè nunquã illuxerat Incolis dies,
 quàm eloquenti designata certamini: ctenim omnem aëris Sol, du-
 bij nebulam sustulera: CATHARINA; cum tanquam Sole genita
 tenebricosis mentibus suum de Cælo lumen infunderet. Hæc li-
 terario victis, victisquè Sapientibus bello, quem de prædicarent,
 probis Viris tradiderat IESVM facundiã: *Omnis gloria eius filii
 regis ab intus: vt si quis Eum quæreret, Magnæ Matris exemplo
 denuò inter Doctores reperiret. Reuocatum ab inferis Thebanum*

Plut. ad
 Ind. Pri.

Pal. 44.

Am-

Amphionem, nisi Caelestem scires, crederes, dum à S. Spiritu infusa testudinis sono saxea Eorum corda commouerat, quibus Mænia Diuinis Thebis consolidaret. Quis obstrepit verborum fragor, quibus exagitat Cæsarem tumultus? quos prius illecebat præmijs, nunc afficit pænis, & afflante in ignes irâ imperat concremator Sapientes, quia non poterant nisi ardere, quos accenderat Spiritu Virago: Iussis stant prompti satellites, & eorum insolentior, perfidus minister CATHARINAM Illis in Martyrio orantem capillis distrahit, ab Ijs autumans Sortem crinibus auellere. Euanuere Assentatoris tentamina, vt nullis queat blanditijs, seu minis suo à Christo vota Virginis amouere: parùm suadet iners facundia, suoque destituitur robore aquaticus sermo, si noxiâ crepitet iratus ignis fauillâ. Nouo propterea tactus Maximinus incendio, Virginis auct, quo tepeat, cruorem, & perfidâ flagellandam optat sententiâ in saturabilis Hirudo: sæuus obtemperat Miles, immitem lætatus in CATHARINA carnificinam, castam dum lacerat cutem; cuius è vulneribus per rimas tanquam illi radij emicarunt, quibus de Cæsaris curia plurimi illuminabantur. Copioso sanguinis Minio denudata iam erubescunt candida membra, vt, purpureas dari hoc in Monte niues, fas sit effari: verùm in præceps ruit dira voluntas, imprudens non animaduertens Tyrannus suum Imperium deficere, cum purpurâ obsolescente nunquam Murice confectâ vestierit CATHARINAM. Opacam detrusam in turrin sedulæ tradit Licetorum custodiæ, ne ad Illam aditus vlli pateret, ac si is humanâ Cælo imperaret potentiâ, qui illius fores semel nec penetrauerat mente;

Mortale Cælo non potest iungi genus,

Prohibeantur pharmaca, desint languenti ceromata; etenim qui inflixis vulneribus medeatur CATHARINAE, plûs quàm Traianus Militibus, seu Lisinaco Macedo, adest Archiatrus Empyricus fatis, quia Empyreus, hastam ab Achille sanantem plagas non emendicatus: nulla suppetant Ieiunæ alimenta, nam ab Angelis Exhomologesi, dignâ Cælesti Ciue Ambrosiâ, refecta, nec duodeno Sole deficiet, cum Panem Vitæ pectoris recondat Ergastulo,
Plu-

Sene. in
Hercul.

Plurima de Captiua deprædicata ad carcerem angustum inouent Augustam, & gradu indefestè Duce Porphirio accurrens, cimerijs perfidiae tenebris inuoluti diuino splendore gratiæ exoptant collustrari, obscuro quamuis in antro, quia *nox nulli indicat scientiam*: Nobili huic Pari CATHARINA igneam inferens dicendi energiam, ne à recta Cæli semita aberrarent, ostenderat superna Religionis face. Accensi satis reduces ex cauea, magnæ Feminae exemplo, acinacem Marti, animam Christo deuouet probus Chiliarca, præce militaturus in Stygem: Ducis ad normam flagrat tota Cómilitonum phalanx, & veriori Christianum dant Nomen Militiæ, tuta IESV ægide sub CATHARINAE vexillo, quo detinebantur Alastorem propugnaturi. Viuam adhuc, quam tot dierum fume, crediderat interemptã, admiratus, Ei nouiter assentatur Hypocritas, vt, quam tyrannidis fremitu parere sibi nequit, adulanti verborum sono sibi, Dijsquæ firmaret obedientiam: sed quid cum Amazone pauidus? quid cum Pentefilea Phryges? quid Cyrus cum Tomyri? quid cum Libijs Africa? & quid cum Ioanna Britanni? Hos enim belligeros & fortes corpore animo antecellunt Illæ.

Grauent catena corpus, & longa fame

Sene. in
Mercur.

Mors protrahatur lenta, non vincet Fidem

vis vlla.

Adueniant Custodes, quinam sauciatam sanauerat, rationem reddituri: omnes in Virginem proni, despecto Cæsaris obtutu abiurant Idola, vt Cæli potiùs, quàm carceris ostium aperirent, qui Clauces habebant. Æreo in sonipede, sepulcro priùs, quàm morti deditam à se descitam Turbam, concrematam vult improbus Princeps, suum Troiano exemplo excidium grauido armatis Equo pariturus, ob ereptam Alexandrinam Helenam Cælorum Meneleo. Acriori adhuc cogendam tormento excogitauit Barbaries, in Orbe præferens cuncta, quæ humana machinabatur peruersitas: Hyrcano ingenio armatas nouaculis Rotas parat atrox Architectus; vt lento forsan Martyr curreret ad necem gressu, seu hoc duceret Victoriã carpento Numinibus in triumphum Cæsar. En, proximam perfidiae instrumento Viraginem, nisi solutis nubibus ingen-

ingenti fragore adessent Angeli in auxilium. In humum præcipi-
tat caligo, & victor ignis ex suspenso aëris carcere Christi ferit in-
Hostes, iniurias lioris vindicaturus incendio: motu quatitur so-
lum,

*Stelliger mundus sonat,
Flammas & hic, & ille iaculatur Polus.*

Tum quisquis Comes

Fuerat Tyranni, iacuis & pana comes.

Soluitur in partes Machina, horribiliquæ fremitu tot Cædes
Ministris patrat, quot cuspidibus armauere;

Sæpè in Magistrum scelera redierunt sua.

Sicquæ humana castigantur consilia, ubi se Cælestibus præferunt.

A Maximino sæuo satis iocatum Trocho: firmandam volubilita-
tem Rotæ imperat Cælestis Fortuna; quid enim Ænæ resistens
viribus non experiatur iacturam? Ast verbis tonitrua, fulmina,
minis parare, cædere, fremere, ruere non desinit fulmine semiu-
stus Titan, quippe cæsam Coniugem efferatissimus demandat Cæ-
sar: qui Christianæ Imperatrici vbera refecet, iussis auscultat Car-
nifex; procul enim à Diua conuenerant membra reperiri, quæ de-
derant perfidiæ alimenta, cum & sine mammis constantem in Or-
cum efficeret Amazonem. Longo circumseptus comitatu cernitur
Fluuius Niso, qui proximam cladum calamitatem suis vndis illa-
crymat: tota cum Belli Duce Cæli secura Legio cadit securi, ordi-
nato Corporum in aquas lapsu, vt Angelis stipati Bonis Auibus ad
Fortunatas Siderum Insulas appellerent diligentes Nauarchi, nullo
naufragio territi, quia *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Quid
Arrius Philosophus, si reuiuisceret, assereret, (cuius erudito be-
neficio ereptos morti Alexandrinos transcribit antiquitas) si Inco-
lis Vrbes, Coniuges Maritis vnus Ignauis crudelitate cerneret vi-
duatas? Quid ipsemet Alexander, dum, quos regebat Ciues Cle-
mentia, intueretur vexatos Tyrannide? deploranda meherclè
ærumnarum tempora, publici Hostis in Christicolos miserum re-
gimen! Verùm nondum hic finis: moriendum est, omniquæ supe-
randa vno ictu sæuities. Immiti ferientis acinace tollitur Diuæ
Marty-

Sene. in
Hercul.

Sene. in
Thyest.

Va. Max.
l. 1. ca. 6.

1. Genes.

Martyris CATHARINÆ Cervix Regia, vt, sublato Religio-
 nis Capite, Membra non insultarent Numinibus: placuit enim oc-
 cidi, vt tandem, expoliata carnis nube, fulgorem tot ignibus ac-
 censum redderet Sanctitatis, quia nihil supererat, quàm, quæ in-
 flammauerat terras, Cælum quoque illustraret. Gloriosa graditur
 ad Superos Anima, atque *de Forti egressa Dulcedo*, prodigiosum,
 è collo scilicet emissum LAC cruoris in vicem, Argenteam Virgini
 Galaxiam ad Cælos parat; quid enim è diuiti venarum fodina,
 quàm casto liquatum Igne Virginitatis Argentum Mons iste tri-
 bueret? nimirum, quia solis grauidæ Rupes Metallis. Cùm rabi-
 dis Canibus sanguis deficiat, absit & sacrum Cadauer, cui vt Cæ-
 lesti Iusta perfoluerentur pompa, habuit Angelos, quod ad Sinai
 Montem deferrent; vt, si à monte Ardor prouenerat Heroinæ, ad
 Montem quoq; redirent candentes Cineres, quibus, vt constantius
 arderent in Posteris, addidit Oleum Deus (quod, & operam Viui
 non perdidere) gelidis pro artubus excellens Ceroma. En Æter-
 no Noëno pacis plurium in animis fatæ Columbam nuntiam, cui
 nec defuit Oliua bono pro Omine, cùm Olearum succo adhuc ma-
 net abundè. Hanc meritò Sapientem Virginem, & vnam de Pru-
 dentum numero Sponsus appellat, ad Fatuarum quippe erube-
 scentiam Oleo, quo Lampadem suam ad Nuptias accensam seruet,
 summo in Lecyθο abundat. Beata Cælorum Pyrausta rogales
 experta flammis, Regales sentiens ardores, vt meritò huic Sacræ
 Æstuanti Viragini Martyres Coronam, Sectatores salutem, Inco-
 las Cælum quos habet, debeat: quis ab imbelli ac iusirma Puella,
 Iperet tanta? Ast nullus admirationi locus, cùm, seruandis deper-
 ditis, non nisi ex VIRGINE oriatur Homo Deus.

Ætneæ Flamma ima fermè depascitur, & languorem creat Ora-
 tori: Sed ò Te Hoc Igne felicissimam ACADEMIAM constanti
 Incendio tantæ Virginis amore deflagrantem! En Patronam, tuo-
 què ACCENSO Athæneo VESTALEM, optimam Aduocatam,
 cùm de SINAI fallax communicetur nihil. TE ista sum arbitra-
 tus Panegyri, ò Sponsa Deo dignissima, iusta tot Martyrum Regi-
 na, pio adhuc radio coruscans, sacro adhuc flagrans incendio!

Tuis

Tuis Auspicijs supplex hoc Lyceum vt adolescat, orat, & incon-
cussa incluso Rotâ secundò emergenti Te quoque Sortem existe-
re obsecrat Secundam; vt vero hoc in Parnasso Tridentinæ fospite
Musæ dulces Lacteo Tuo ex Hippocrene stillas delibent Sapi-
entię. Sic

Lauro fores

*Lata virefcent; dignus Aduentu Tuo
Splendescat Ignis.*

Sene. in
Thyest.

Vt Vtustissimam Cererem placarent, & alimenti concurreretur
vbertate, quindecim Viros Ennam miserant Antiqui: Tu, hac cõ-
mentitia Cerere mirabilior Minerua, Literario faueas Lyceo, co-
piofo Tuo Igne vberius ACCENSIS suppeditans alimentum; Bis
Quindecim enim Viros feruido voto sistit Ætne noua etas: felices
Sapientes Te Magistrâ Discipulos! tales Nos Te Patronâ Clientes!
gloriosos Te Duce tot Martyres! Nos beatos Te Numine Tutelari
Academos! Firmum Græcorum insultibus propugnaculum Iliaco
in Fano Palladis steterat simulacrum; hoc Numine tuti satis, quia
sub clypeo Troiani: Quid Virtutis in Templo tenter Ignauię Ma-
uors, si ipsam habemus PALLADEM Tutelarem, quę regat Ignes,
protegat Ardores, Oleis Sibi sacris coronata? Feliciter igitur, feli-
citer vrere ACCENSI tot eruditus Follibus Ignis Receptaculum,
Cælesti dum irradiaris Custode, *Illuminante mirabiliter à Monti-* Plal. 75
bus, incorruptę certum fidei in Regina: Flamma progredere Diuę
Martyris, & Virginis CATHARINÆ sub Tutela, & Nomi-
ne, quo Tibi perennitatem vaticinatur Hexameter.


Cum Accensa Trahat Hac Ara Rem In Nestoris Annos.

Dicebam.



P 19260





Biblioteca
Comunale

I

[-OP

d

276

TRENTO

NOVA IGNI POTENS
ÆTNA

ORVM IGNI

mentum.

& Martyr

INA

ELARI

Inuocata.

lemie Oratione

lo Exhibita.

otto I. V. D.

o Constanti.

CLara LICel.




x-rite

colorchecker



MSCCPCC0613



TRIDENTI, Ex Typogr. Episc. Priuil. Iacobi Antonij Vidæ.
SUPERIORVM PERMISSV.